

Protinus aggressus magnum superare laborem  
Aggeris immensi dejecit culmina montis.  
Intima sollicite scrutatus viscera terræ  
Siccavit totum quidquid madefecerat humor,  
Invenit fontem, præbet qui dona salutis.  
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

*jussu hoc marmore incisa ad venerandæ antiquitatis monumentum pie servatum ex templo ejusdem ruinis hic reponi mandavit anno M. D. C. V. I.*

Ex Baronii tom. VIII, in addendis ad tomum quartum pag. 799 Appendix cum sequentibus; et dicto tom. IV, addita in secunda editione pag. 449.

<sup>1</sup> Quæ sequuntur carmina, edita sunt in libro Inscriptionum antiquarum Gruteri ad finem; descripta autem ab eo fuere ex antiquo codice, in membranis bibliothecæ Palatinæ, qui Romam postea translatus, nunc asservatur in bibliotheca Apostolica Vaticana, num. 552. Ex isto Inscriptioñum libro carmen hoc 17 editum Baron. tom. XII, in Appendix pag. 913, sub anno Christi 384, legique verso ultimo tenet; cum ibidem male legatur tenet. Primus versus est Virgilii in Aeneid. Aliud de his fontibus epigramma habuimus supra ex basilica Vaticana, quo loco etiam hæc existisse carmina docet titulus appositus priuino epigrammati dicti codicis Palatini. Baptisterium etiam Lateranense S. Sixtus III papa versibus exornavit ut scribit Anastasius: *Hic fecit in basilica Constantini ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat; idem epistylia marmorea et columnas porphyricas erexit, quas Constantinus Augustus congregatas dimisit, et jussit ut erigerentur, quas et versibus exornavit*, etc. Qui versa, et adhuc apparent bini per zoophorum distributi, quos primum cudit Panvinius libello de septem Ecclesiis; sed quia apud ipsum variatus est ordo carminum, damus et nos suo ordine restitutos, nam cum eorum initium sit ea parte, qua a portico S. Venantii in baptisterium ingredimur, deinde sequendum est in gyrum usque ad finem. Carmina sunt hæc ut sequuntur:

Gens sacranda polis hic semite nascitur almo,  
Quam secundatis spiritus edit aquis.  
Mergere, peccator, sacro purgande fluento;  
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.  
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum  
Unus Ions, unus spiritus, una fides.

*Ad fontes.*

Non hæc humanis opibus, non arte magistra,  
Sed præstante Petro, cui tradita janua cœli est,  
Antistes Christi compositus Damasus.  
Una Petri sedes, unum verumque lavaerum,  
Vincula nulla tenent, Acbathius votum solvit.

Virgineo scetu genitrix Ecclesia natos  
Quos spirante Deo concipit, amne parit.  
Insons esse volens isto mundare lavacra  
Seu patrio premeris criminè, seu proprio.  
Fons hic est vita, et qui totum deluit orbem,  
Sumens de Christi vulnere principium.  
Cœlorum regum sperate, hoc fonte renati;  
Non recipit felix vita semel genitos.  
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum  
Terreat; hoc natus flumine sanctus erit.

B Habemus et de fontibus S. Ambrosii carmina quæ  
hic apponimus, edita cum nonnullis aliis ejusdem  
sancti, ex eodem codice Palatino apud Gruterum hoc  
titulo:

*Versus Ambrosii ad Fontem S. Teclæ.*

Octachorūm sanctos templum surrexit in usus;  
Octagonus fons est munere dignus eo.  
Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam  
Surgere, quo populi vera agnos reddit  
Luce resurgentis Christi, qui claustra r. solvit  
Mortis, et e tumulis suscitet examines.  
Confessoque reos maculoso tritamine solvens,  
Fontis puriflui diluit irriguo.  
Hic quicunque volet probrose criminæ vitæ  
Ponere, corda lavent; pectora munda gerant.  
Huc veniant alacres; quamvis tenebrosus adire  
Audeat, abscedet candidior nivibus.  
Huc sancti proferent, non expers ullus aquarum  
Sanctus in his regnum est consiliunque Dei,  
Gloria Justitiae, nam quid divinius isto?  
Ut puncto exiguo culpa cadat populi.

C Post hosce Ambrosii versus, sequuntur in codice Palatino alii de ecclesia S. Anastasiæ a Damaso olim exornatae, quos idcirco hic edendos censuimus.

*In Sanctæ Anastasiæ.*

Antistes Damasus picturæ ornavit honore  
Tecta, quibus nunc dant pulchra metalla decus.  
Divite testatur pretiosior aula uitore,  
Quos rerum effectus possit habere fides.  
Papæ Hilari meritis olin devota Severi  
Necnon Cassiæ meus dedit ista Deo.

## APPENDIX

### AD OPERA SANCTI DAMASI PAPÆ.

(Carmina a Grutero ex cod. Palatin. edita.)

## I.

Omnia, quæque vides, proprio quæsita labore,  
Cum mihi gentilis jamdudum vita maneret,  
Institui, cultum cupiens cognoscere mundi.  
Judicio post multa Dei meliora sequuntur,  
Contemptis opibus, malui cognoscere XPM:  
Hæc mihi cura fuit, nudos vestire petentes,  
Fundere pauperibus, quidquid concesserat annus;  
Psallere et in populis volvi modulante Propheta:  
Sic merui plebeim XPI retinere Sacerdos.

## II.

Tempore, quo gladius secuit pia viscera matris<sup>1</sup>,  
Sexaginta duo capti feritate Tyranni,  
Extemplo ducibus missis sua colla dedere

## D Confessi XPM, superato Princeps mundi

Ætheriam petiere domum, regnumque piorum.

## III.

Discite, quid meriti præstet pro rege feriri,  
Fœmina non timuit gladium, cum uetus obivit;  
Confessa XMP meruit per secula nomen.

## IV.

Stringe, dolor, lacrymas; quæraris, plebs sancta, re-  
Levitam, subito rapuit sibi Regia.cœli. [demplum  
Dulcia nectareo promebat melia canore,  
Prophetam celebrans sacro modulamine senem;  
Hæc fuit insontia vita laudata juventus:  
Invidia infelix tandem obpressa quiescit;  
Nunc Paradius habet, sumpsit qui ex hoste tropæa.

<sup>1</sup> Quidquid a præcedentibus carminibus hic repetitum est italicico charactere scriptimus. Digitized by Google